DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA 6

DE

FLVORE ALBO BENIGNO

QVAM

SVB DIVINIS AVSPICIIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DVCE

ERNESTO AVGVSTO
CONSTANTINO,

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM ANGARIAE,
WESTPHALIAE, RELIQVA.

ET PRAESIDIO

CAROLI FRIDER. KALTSCHMIED

H. T. RECTORIS MAGNIFICI PHILOSOPH. ET MED. DOCTORIS,
ANATOMIAE CHIRVRGIAE ET BOTANICES, PROF. PVBL. ORDINARII
SERENISS. DVC. SAXO VINARIENSIS ET ISENACENSIS ET SERENISS.
MARCHIONIS BRANDENBVRGICO CVLMBACENSIS, CONSI-
LIARII AVLICI PRIORIS MEDICI ET PHYSICI, CO-
MIT. PALATINI CAESAREI ACAD. IMP.
NAT. CVRIOS. COLLEGAE.

PATRONI AC PRAECEPTORIS SVI PIE
DEVENERANDI

DIE XIII. DECEMBRIS MDCCXLIX.

PRO GRADV DOCTORIS

MORE MAIORVM RITE OBTINENDO
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTIT

AVCTOR

IOANNES GOTTLIEB HENTRICH SAXO.

IENAE LITTERIS IO. CHRISTOPH. TENNEMANNI.



§. I.

Fluor albus benignus eſt euacuatio p. n. ſiue ſtillicidium ſeri viſcidi ex partibus genitalibus mulierum, a collectione humorum pituitoſorum et debilitate vaſorum, in partes genitales praecipue internas, hiantium.

§. II.

Morbi, cum quibus fluor albus benignus aliquam habet propinquitatem, a quibus tamen diuerſus eſt, ſunt; menſes decolorati, fluor albus malignus, ſalacitas nimia. Menſes decolorati oriuntur, ſi vaſa vteri ſunt vel nimis rigida, vel ſi ſanguis eſt nimis viſcidus, vt non, niſi ſerum tantummodo album, vel tantum inſtar loturae carnium

coloratum, per vaſa non ſufficienter aperta effluere poſſit. Tales menſes decolorati tantum apparent tempore menſium inſtantium. Contra vero fluor albus benignus quoque tempore interualli inter menſium fluxum fluit et ſerum viſcidum exſtillat et tempore inſtantium menſium ceſſat, atque fluxui menſium liberum concedit ſpatium. Simul menſes decolorati non numquam loturae carnis ſimilem praebent materiam. Fluor vero albus benignus ſemper ſerum tantummodo viſcidum, albicans, lacteum effundit.

§. III.

Fluor albus benignus differt a maligno tam ratione materiae, quae euacuatur, quam ratione cauſae. Materia enim, quae in fluore albo maligno effluit, eſt acris, purulenta, varieque colorata et foetida et ita corroſiua vt vaginam vteri, vuluam, immo et crura illasque partes, quas attingit, erodat, ſimul hic morbus oritur ex fermento venereo, quod partibus genitalibus commiſtum, illas erodit et exulcerat. Ex quibus vaſis eroſis materia purulenta effluit, omni tempore, etiam durante fluxu menſium, quum tamen benignus iſto tempore ceſſet.

§. IV.

§. IV.

Salacitas denique nimia foeminarum eſt, ſi vel per colloquium vel per cogitationes, vel per parerga venerea, foeminae mucum quendam viscidum in lacunis vel proſtatis Bartholini ſecretum, ex genitalibus excludunt, quem ſemen dicunt foeminarum. Sed quamuis non negandum ſit, quod hic affectus idem pariter ſit ac gonorrhea ſimplex, et a fluore albo non niſi gradu differat, tamen in eo differt, quod fluor albus perpetuo duret, etiam ſine libidine.

§. V.

Cauſam immediatam noſtri affectus dicimus talem p. n. corporis conſtitutionem qua vaſa circa partes genitales ſunt nimis laxa, et debilia, et ſerum in corpore abundat. Quodſi enim tunc ſerum per cauſas quascunque remotiores in corpore augetur et verſus partes genitales mulierum determinatur, tunc illa vaſa, quia ſunt debilia, impetui fluidorum atque collectioni ſeri minus reſiſtere poſſunt: hinc ſe expandunt, ſerumque congeſtum transmittunt.

§. VI.

Vaſa quae partibus genitalibus foeminarum

rum ſanguinem adferunt, aduectumque reuehunt, ſunt

1. arteriae ſpermaticae, tam ouario quam ligamentis vteri, tubis fallopianis, fundoque vteri ramos ſuppeditantes.
2. Arteriae hypogaſtricae, quae ceruici et fundo vteri ſuperiorique vaginae vteri, parti, quamquoque veſicae aliisque partibus in pelui ſitis, ramos largiuntur.
3. Epigaſtricae arteriae, quae partim vtero ſanguinem adferunt, partim per muſculum rectum aſcendentes arctam cum vaſis mammariis habent anaſtomoſin, atque conſenſum momentaneum mammas inter et vterum, clariſſime demonſtrant.
4. Arteriae pudendae, quæ ab iliacis internis ortae, partes genitales muliebres, praecipue externas ſanguine irrigant.

Cunctae hae arteriae, venas concomitatae, ita inter ſe complicantur, vt Ruyſchiana arte praeparatae nihil admirabilius videri poſſit. Ex hac enim complicatione, vaſorumque circumuolutione id obtinetur, vt geſtationis tempore, per ſolam vaſorum expanſionem vterus in ingentem molem expandi poſſit. Harum arteriarum fines vel anaſtomoſin cum venis celebrant vel aperti hiant in cauitates

tam

tam tubarum Fallopianarum, quam vteri eiusque vaginae, ex quibus humor deſtillat, aquoſus, viſcidus, qui obducendo parietes horum canalium, adhaeſionem ſeminis impedit, viasque lubricat. Si vero hi fines praeter naturam ampliantur, tunc vel menſes fluunt vel fluori albo, aliisque ſymptomatibus porta aperitur.

§. VII.

Quodſi itaque vnum vel quaedam horum vaſorum ſint debilia, i. e. interſtitia illorum ſunt partibus ſpecifice leuioribus repleta: tunc orietur ex inde morbus malae conformationis et quidem laeſae figurae internae, qui dicitur laxitas, et eſt impotentia decenter reſiſtendi impetui partium fluidarum. Tunc ſi augetur impetus partium fluidarum praecipue ſeroſarum, haec vaſa debilia non ſufficienter reſiſtere poterunt impetui humorum, qui tam ex ſyſtole cordis et arteriarum preſſi, quam ex pondere et adhaeſione expandere conantur vaſa. Huic actioni fluidorum, ſi tonus phyſicus debilitatus minus reſiſtere poteſt, vaſa expanduntur, et vltimi fines eorum aperiuntur, oritur itaque anaſtomoſis et vaſa aperta ſerum transmittunt ad haec loca congeſtum.

§. VIII.

§. VIII.

Serum itaque quatenus abundat et verſus partes genitales muliebres determinatur vaſaque vteri quatenus ſunt debilia et laxa cauſam conſtituunt mediatam proximiorem fluoris albi. Contra vero remotiores erunt omnes illae cauſae quae ſerum abundans reddunt, illud verſus genitalia mulierum determinant et vaſa illarum partium debilitant.

§. IX.

Seri quantitatem nimiam augent

1. Res non naturales et quidem aer humido frigidus, qui impediendo tranſpirationem et ſi eius humidum per venas bibulas cutis abſorbetur non retinet ſolum in corpore ſed et auget ſerum. Cibus viſcidus et craſſus, qui inviſcando ſerum illud ad ſe- et excretiones reddit ineptum. Potus abundans frigidus, item acidus, ſeri quantitatem auget, ſpiſſum ac viſcidum illud reddit. Immo ſpiritus vini vel frumenti nimia ingurgitatio ſuam confert ſymbolam, quia experientia docet, illum reddere ſerum viſcidum. Quies et ſomnus ſi diutius continuetur et illa animi pathemata quae

motum

motum ſpirituum deprimunt, occaſionem largiri huic malo poſſunt facillime.

2. Res naturales, quae huic morbo maxime obnoxiae ſunt, erunt aetas illa a fluxu menſium incipiente, vsque ad emanſionem illorum. Quamuis quoque exempla quamvis rariora exſtent, vt etiam ante pubertatem et poſt ceſſationem menſium obſervetur, vti Magnificus et Illuſtris Dominus Praeſes exemplum virginis nouit, quae, ſaepius et anno aetatis 64 hoc fluore albo laborauit. Temperamentum phlegmaticum et habitus corporis oboeſus corpus præbent iam impuritatibus ſeroſisrepletum.

3. Res denique praeternaturales, ſiue alii morbi, qui ſeri abundantiae fauent ſunt cacochymia pituitoſa et exinde orta cachexia, praecipue ſpecies eiusdem chloroſis dicta, excretionesque aliae ſeroſae quae antea familiares fuerunt, nunc vero ſunt impeditae et obſtructae. Si itaque huic abundantiae ſeri aliae accedunt cauſae, quae ſerum verſus partes genitales femininas determinant et vaſa harum partium debilitant: tunc orietur ſtagnatio ſiue congeſtio ſeri verſus haec loca, exſtagnatione, dilatatio et effluxus ſeri ſuccedet.

§. X.

Id quidem praeſtant

1. naturalis vaſorum vteri et ceterarum partium genitalium debilitas, quippe in quibus propter mirandam vaſorum vteri complicationem et convolutionem, iam ſecundum naturam, humorum motus eſt tardus. Vnde adhaeſio et preſſio ſanguinis in haec vaſa augetur. Expanduntur vaſa itaque, cohaeſio fibrarum, vaſa conſtituentium imminuitur et illa fiunt debilia. Adeoque videmus, vt ſi in ſexu ſequiori ex qualibet cauſa motus et rarefactio humorum augeatur, tunc fere ſemper recurſus et congeſtio humorum fiat verſus vterum.
2. Laſciuia nimia foeminarum occaſionem largiſſimam praebet fluori albo benigno. Namque dum propter laſciuiam, ſpiritus animales, in maiori quantitate determinantur verſus genitalia, hi ſpiritus ſe miſcent cum ſanguine, tam in corporibus cauernoſis tubarum Fallopianarum quam in fibris muſcularibus vteri eiusque vaginae contento. Per hanc miſcelam ſpirituum cum ſanguine hic rarefit fibrasque fortius expandit, ex expanſione hac ſequitur debilitas, vt vaſa impetui fluidorum minus reſi-

resistere possint. Haec vero debilitas eo magis augetur, si massa sanguinea cacochymia laborat pituitosa, id est sero aquoso, viscido abundat. Tunc enim fibris dilatatis, et expansis adhaerent partes massæ sanguineae specifice leuiores, et ex adhaesione in interstitia vasorum, per expansionem vasorum aperta, penetrant. Si vero parietes vasis sunt leuiores, tunc minus cohaerent et dilatationem patiuntur: plura de hisce vide in Magnifici et Illustris Domini Praesidis dissertatione, elaborata de Nymphomania.

Eandem ob causam.

3. Viduae vel mulierculae, debilibus maritatae viris huic malo magis sunt obnoxiae, quia per motam quidem lasciuiam, sanguinis et spirituum versus genitalia accumulatio augetur, attamen non satiatæ, subsistunt humores viscidi, nec sub forma seminis eiiciuntur. Hinc stagnatio et expansio et vasorum debilitas presso pede sequitur.

4. Menses porro si non decenter fluunt, vel propter visciditatem vel propter impetum sanguinis imminutum, vasa præter modum expanduntur et debilitantur. Si enim plethora adest et sanguis circa vterum con-

geritur, tunc expanduntur quidem vaſa, ſed non in tali gradu, vt globuli ſanguinei per vaſa expanſa penetrare poſſint. Hinc menſes tantum ſequuntur decolorati. Interim debilitantur vaſa per expanſionem, vt in poſterum ſeri adfluxui non reſiſtere poſſint, ſed illud transmittant.

5. Refrigeratio genitalium crebra parietes tam vaſa vteri debilitat, quam ſerum in illis partibus auget, et circulum eiusdem ſiſtit. Eam ob rationem lotrices et qui ſtratis lapideis inſiſtunt creberrime tam menſium obſtructionem, quam hunc morbum patiuntur.

§. XI.

Si itaque tales cauſae praegreſſae fuerint et tam ſerum, partesque pituitoſae abundent, quam vaſa vterina fuerint debilitata: tunc augebitur ſecretio illius materiæ ſeroſae viſcidae, quae ex arteriis ſeroſis partium genitalium exſtillat, et vias tam ab vrinae acrimonia quam ſiccitate defendit, ne propter aerem iniuriasque exernas ſtatim laedantur. Simulque prohibet hic mucus, ne ſemen adhaereat et in motu ſuo ac directione verſus ouaria per adhaeſionem ad parietes viarum, quas tranſit, impediatur. Si hoc ſerum ex poris vaſo-

vaſorum exſudat, tunc iterum abſorbetur per venas bibulas vel vaſa lymphatica, et ad ſanguinem reducitur. Ita vt aequalis ſemper ſeruetur proportio inter ſecretionem et abſorbtionem, ratione tamen ſimul habita ad id, quod per genitalia tranſpirat.

Sin vero plus ſecernitur, quam iterum abſorberi poſſit, vel ſi abſorbtio eiusdem imminuitur. Tunc ſerum viſcidum pituitoſum exſtillet neceſſe eſt et tam labia vulvae, quam crura humectat. Hocce ſtillicidium, quamuis ſatis moleſtum ſit, tamen materia, quae deſtillat, non erodit labia vuluae vel crura vt dolor inde oriatur, plane enim vacat a fermento venereo et id, quod exſtillat, eſt pituita ſolum et eadem ratione ſe habet ac coryza, ceteraeque ſeroſæ euacuationes; ita vt fluor albus benignus coryza vteri dici mereatur.

§. XII.

Continuat hocce ſeri ſtillicidium ab uno fluxu menſium vsque ad illud tempus, in quo iterum inſtant vel quoque modo ceſſat, modo iterum redit et per quosdam dies durat et iterum ceſſat, nunquam vero certa tempora ſeruat. Tunc uero fluxui menſium liberum concedit ſpatium et tamdiu deſinit

donec fluxus menſium iterum ceſſauerit, hoc vero ceſſante, ſuam iterum ludit fabulam. Cauſam enim fluoris albi, conſtituimus dilatationem talem arteriarum, vt ſerum in nimia copia effluat. Quoniam vero ſecundum Leuwenhoekü dogmata globuli ſanguinei maiores et quidem ſexies maiores ſint, quam globuli ſeroſi, ideoque per vaſa ita dilatata effluere quidem poſſunt globuli ſeroſi, remanentibus tamen globulis ſanguineis, quoniam propter anguſtum, relatiue ad globulos ſanguineos, orificium effluere non poſſunt. Quodſi vero plethora vel quantitas humorum in corporibus femininis augetur et lunari tempore motus quidam fermentatiuus in illo excitatur: tunc augetur impetus fluidorum: fluida vaſa expandunt, vaſa expanſa ſe contrahunt reagendo et fluida contenta propellunt.

Fluida preſſa tendunt quaquaverſus ſed magis eo, vbi minor eſt reſiſtentia, cum vero vaſa partium genitalium in ſexu ſequiori minimam praebeant reſiſtentiam, ideoque ibi reſidet et vaſa expandit, ita vt orificia in cauitates vel tubarum Fallopianarum vel vteri hiantia dilatentur et ſanguinem rubicundum transmittant. Ceſſat itaque fluor albus benignus, quoniam, loco ſeri nunc ſanguis trans-

transmittitur, quae ſanguinis transmiſſio tamdiu durat, donec vel plethora ſit imminuta, vel motus humorum fermentatiuus ceſſet, et dum vaſa non amplius dilatantur, ſe contrahunt et globulos ſanguineos ſucceſſiue excludunt, ita vt materia euacuata palleſcat. Vaſa tunc in ſtatu ſ. n. contracta, iterum non niſi tantam transmittunt ſeri copiam, quanta ad humectandas vel lubricandas partes requiritur. Si vero iam fluor albus adfuit tunc propter tonum phyſicum amiſſum, vaſa ſe in tanto gradu recludere non poſſunt, ſed manent debilia et fluor albus recurrit.

§. XIII.

Interim ea phaenomena in fluore albo obſeruantur, quae ex intemperie frigida et humida et cacochymia pituitoſa ſequuntur. Adeſt nempe habitus corporis tumidus et color cutis ex albo flaueſcit, propter ſtagnationem ſeri viſcidi in tunicae adipoſae cellulis. Adpetitus eſt proſtratus, quia menſtrua ſunt nimis aquoſa et ſalia acida menſtrui ventriculi ſunt nimis diluta, vt neque ventriculi fibras irritare, neque illas ad contractionem ſtimulare poſſint. Actiones omnes, tam animales, quam vitales et naturales ſunt admodum debilita-

tae

tae et imminutae. Ad vigorem enim illarum requiritur tam influxus ſpirituum animalium congruus, quam tonus phyſicus ſufficiens fibrarum, vterquevero in fluore albo deficit. Ex tali enim maſſa ſanguinea, vbi ſerum pituitoſum abundat et ſalia eiusdem ſunt nimis diluta, ſecretio liquoris alcalico ſulphurei minime decenti gradu fieri poteſt. Ideoque digeſtio ita eſt imminuta vt per leuiſſima diaetae vitia ſtatim cruditates generentur, imo vt putreſcant ingeſta, vnde diarrhea, ructus, flatus ſequuutur, quam quoque chylificatio laeditur, vt qualitas vitioſa maſſae ſanguineae magis increſcat.

§. XIV.

Pariter quoque pulſus mollis eſt et debilis, quia maſſa ſanguinea pituitoſa vaſa emollit, fibrasque relaxat et quia ſpiritus deficiunt, qui celeriorem ſyſtolen et diaſtolen producere poſſent. Calor eſt inſigniter imminutus, ita vt ad leuiſſimum frigoris acceſſum extrema præcipue refrigeſcant. Calor enim ex actione oritur ſalium in ſulphur; quum vero in tali maſſa ſanguinea ſerum abundet, tunc ſalia, cum ſint in maiori menſtrui quantitate ſoluta ad actionem, in ſulphur ſunt magis inepta,

ideo-

ideoque materia, pro calore conſeruando vel ſtatim tranſit in corpus frigidum, vel reliquus ſanguis non ſufficientem ad excitandum calorem copiam largitur. Obſeruatur tamen non numquam caloris cuiusdam quaſi hectici phaenomenon, praegreſſis praecipue horripilationibus. Quum vero hæc febrilis cuiusdam vel inflammatorii ſtatus ſigna ſint, ita quoque (ſecundum theſin illam Praenobiliſſimi et Experientiſſimi D. I. D. Mittelhaeuſeri, Practici feliciſſimi et Phyſici Weiſſenfelſenſis, Patroni ac Praeceptoris mei aeternum deuenerandi, qua plurimis, tam theoreticis, quam practicis demonſtrationibus clariſſime euincit, inflammatorium quendam ſtatum, in omnium, ab internis cauſis ortorum morborum hiſtoria, concurrere: Quam, erudito quodam tractatu, de vniuerſalitate congeſtionum et inflammationum inſcripto, orbi erudito breui communicabit.) ſuſpicari licet, concurrere quandoque ſimul cum fluore albo, inflammationem quandam vel quaſi. Facile enim fieri poteſt, vt ſerum, per ſtagnationem acrefactum reſorbeatur a venis et redeat in ſanguinem.

§. XV.

Vrina eſt albicans et aquoſa, immo nonnunquam lactea, quoniam 🜍is actio deficit, quod, ſi vrinae ad miſcetur, illi colorem impertit. Vires ſimul ſunt maximopere debilitatae, omnesque actiones ſunt laſſae et ſomnolentae, ſomnusque eſt nimius, tam propter defectum ſpirituum, quam aquoſitatem humorum.

§. XVI.

Adpetitus venereus, in initio fluoris albi benigni, eſt admodum imminutus, immo in coitu exiguam ſentiunt voluptatem, multique putant ſteriles plane eſſe eiusmodi foeminas. Verum quidem eſt, exinde ma-

gna conceptioni et geſtationi ponitur remora, attamen hic cum diſtinctione reſpondendum putarem. Mihi enim ipſi, Cizae praxin exercenti medicam, caſus obuenit, vbi honeſta et egregia quaedam vxor, anno ſuae aetatis decimo quarto maritata, fluorem album paſſa eſt; Attamen, hoc continuante, tam concepit, quam rite geſtauit, et decenti tempore infantem bene factum excluſit, quum tamen, per totum geſtationis tempus, fluor albus perdurauerit. Diuerſa enim ſunt loca vbi ſerum ſtagnare et vaſa dilatare poteſt. Habemus enim tam ouaria, quam tubas Fallopianas, vterum, atque vaginam, quae per arterias ſpermaticas, epigaſtricas, hypogaſtricas et pudendas irrigantur, et non omnes vnum idemque in generando habent officium. Sic itaque merito ſterilitas inde ſuboriri vel ſaltim coniuncta eſſe poteſt, ſi, ſtagnatio, ſerique adfluxus fuerit in ouario vel tubis, vel etiam in fundo vteri. In ouario enim formatio et nutritio ovuli per ſtagnationem impediretur. Si tubae Fallopianae ſunt adfectae, tunc rigidae non euadunt in aeſtu venereo, adeoque neque fimbriae earundem ouarium cingere et ſemen ad ouarium ferre poſſunt. Et ſi hoc quoque fieret, tamen altera earundem rigiditas non facile fieri poſſet, quae iterum ouarium cingentes, ovulum ob ouario ſeparatum, ad vterum ferre debent. Si vterus eſt affectus, tunc eiusdem adhaeſio ad ſubſtantiam vteri eſſet impedita, quia ſerum et mucus nimius obſtat. Verum ſi tantummodo vaginae vteri vaſa dilatationem ſunt paſſa, quid hoc nocere poteſt conceptioni. Vagina enim nulli in conceptione inſeruit officio, quam vt penem recipiat. Si enim ſemen, pleno ſaltu, in vteri ſalit orificium apertum, tunc omnia ad generationem pertinentia requiſita abſolui poſſunt ſine vllo detrimento. Eandem

quo-

quoque caufam reputaui in cafu adducto. Paffa enim eft ante plenariam acceptam pubertatem coitum. Hinc cum vafa adhuc fuerint debilia et tam violentam expanfionem vaginae paffa fit, quam facillime fieri potuit, vt debilitas iam praefens adhuc magis fuerit aucta, vnde dilatatio et feri transmiffio orta.

§. XVII.

Quod ad Prognofin attinet, omnino fatendum eft, morbum effe chronicum, et refiftere diu curationi, quoniam nimia atonia fiue vaforum debilitas non facile curari poteft. Requiritur enim vt partes fpecifice leuiores, quibus vaforum interftitia repleta funt, expellantur, hoc vero non fieri poteft, nifi euacuatione fufficiente et correctione totius maffae fanguineae. Periculo tamen vacat et diu absque notabili detrimento adeffe poteft. Quodfi vero diutius nimis durauerit et qualitas maffae fanguineae infigniter laefa fit, ad varios morbos difponere poteft. Et quidem duplici ratione. 1. quatenus eft fluor albus banignus, 2 quatenus cum cacochymia pituitofa coniunctus eft.

§. XVIII.

Fluor albus, fi non legitime tractatur, vel fi nimis diu durat, tunc facile fieri poteft, vt ferum ftagnans acre fiat, vafa erodat, vel putrescat. Si ferum acre factum vafa erodit, tunc loco feri, excernitur materia quaedam purulenta, quae fimili modo vias, quas praeterlabitur, erodit et pari ratione, ac fluor albus venereus, malignus dici poteft. Si vero pus non excernitur, fed per abforbentia vel adftringentia eius effluxus impeditur, tunc per venas redit in fanguinem et in eo ftatum quendam fermentatiuum, quem refolutionem dicunt, excitat. Quoniam vero ferum eft

viſcidum, hoc reſiſtit actioni ſalium acrium, vt non euidens quidem febris, attamen cacochymia atrabilaria et ſtatus hecticus vel lentus inde oriatur.

§. XIX.

Ratione cacochymiae vero pituitoſae, fluori albo coniunctae, varii affectus ſeroſi, cachexia, levcophlegmatia, anaſarca et diuerſa hydropis genera inde oriri poſſunt. Praecipue vero hydrops ouarii, ſi ſcilicet glandulae, huius corporis glanduloſi ſunt induratae, tunc lympha, quae haec loca per vaſa lymphatica praeterfluit, non rite circulatur. Serum enim in hiſce glandulis ſtagnans expandit vaſa et glandulas, craſſum fit hoc ſerum et ſucceſſiue exſiccatur, quoniam partes, adhuc humidae abſorbentur. Vaſa vero lymphatica comprimuntur a tumentibus glandulis. Haec itaque a ſero expanduntur, formantur hydatides, quae ſi disrumpuntur, ſerum extrauaſatur in abdomen et hydrops abdominis oritur, quae aſcites dicitur.

§. XX.

In curatione fluoris albi indicans erit tam abundantia ſeri viſcidi, quam atonia ſiue laxitas vaſorum in partibus genitalibus mulierum. Ex hiſce itaque indicantibus ſequentes deduci poterunt indicationes et quidem.

1.) Serum viſcidum abundans eſt corrigendum et ad euacuationem praeparandum.
2.) Serum correctum eſt per congrua loca euacuandum.
3.) Vaſa genitalium debilia et atona ſunt roboranda.
4.) Chylificatio laeſa eſt reſtituenda.


§. XXI.

Serum viſcidum corrigitur per medicamenta ſalina media et ſulphurea blanda et temperata, id quidem

dem praeſtant nitrum, ſit vel depuratum vel regeneratum vel cryſtalliſatum, arcanum duplicatum, ♀ ⊕ latus, conchae praeparatae, oculi cancrorum, cum ſucco citri ſaturati, ♁ diaphorticum, radices cichorii, ſcorzonerae, bardanae, chinae, ſarſaeparillae, graminis, helenii Hb. ſcordii, ſcabioſae, veronicae, millefol. meliſſae, et eſſentiae ex temperatioribus alexipharmacis compoſitae. Horum medicamentorum vſus, ſi diu ſatis continuatur, tunc ſerum fit fluidum et ad excretionem aptum.

§. XXII.

Hiſce praemiſſis, euacuatio eiusdem per loca congrua inſtitui poteſt. Quae quidem in hocce morbo triplex eſſe poteſt, vel per poros cutis, vel per glandulas renales vel per glandulas inteſtinales. Diaphoreſin tunc blandam promouent, pulueres abſorbentes et diaphoretici, eſſ. pimpinellae, lignorum, ſcordii, vincetoxici, helenii, imperatoriae carlinae etc. Dcta. ex herbis, radicibus et lignis diaphoreticis. Praeſtantiſſima vero cenſetur euacuatio per glandulas inteſtinales, ita vt practici, quam diligentiſſime, tam in curatione fluoris albi, quam gonorrhoeae moneant, eum, qui bene purget, bene curare. Exhiberi itaque poſſunt pilulae ex extractis et reſinis purgantibus, commixtae cum extractis amaris et gummatibus vt ex extracto abſynthii carduibenedicti, centaurii minoris, trifolii fibrini, fumoriae, hellebori nigri, aloes, agarici, rhabarbari, panchymagogi Crollii et gummi galbani, ſagapeni, opopon. maſtich. thur. olib. repetita doſi adſumtae, imo et alia purgantia ex gialap. ſcamon. mechoacanna conducere poſſunt, immo ☿rius et ipſe conueniet, quamvis nulla contagii cuiusdam ſit ſuſpicio. Tam enim viſcidum reſoluit, quam illud euacuat egregie. Di-



uresis vero simul, promouetur per ea, quae praeparationi feri conueniunt.

§. XXIII.

Quod si itaque serum sufficienter praeparatum et per congrua loca euacuatum sit, tunc tuto exhiberi possunt talia medicamenta, quae partes illas aquosas, specifice leuiores, quae in interstitiis vasorum haerent, expellunt, partibusque specifice grauioribus replent. Id quidem praestant absorbentia et terrea, quae ex principio terrestri constant, vt succinum praeparatum, oculi cancrorum et conchae praeparatae, os sepiae praeparatum, mater perlarum, cornu cerui vstum, ebur vstum, testae ouorum, creta cum aromatibus praeparata, pulvis cachecticus martialis, antihecticum Poterii, quibus admisceri possunt adstringentia, vt boli diuersi generis, terra lemnia, sigillata, silesiaca, catechu, radix tormentillae, bistortae, sigilli salomonis, consolidae maioris, herba prunellae, saniculae, agrimoniae, Flor. balbust. bellid. ros. rubr. exinde praeparatae essentiae extracta, decocta, Infusa etc. Ea tamen cautione adhibita, vt in initio adstringentia vel absorbentia leniora, cum resoluentibus permixtis, exhibeantur, donec successu temporis fortiora in vsum vocari possint. Quodsi enim vasa prius constringantur quam sufficienter serum praeparatum et euacuatum sit, tunc obstructis vasis, serum congeritur quidem versus partes genitales, sed quoniam effluxus eiusdem est impeditus, stagnat, et ex stagnatione vel acrescit et redit in sanguinem, ibique statum hecticum excitat, vel putrescit, et gonorhoea benigna mutatur in malignam, non tamen veneream, vel quoque presso pede status cachecticus et successu temporis hydropicus sequi potest.

§. XXIV.

§. XXIV.

Cura ſic abſoluta, ad chylificationem decentem reſtituenadm, illamque conſeruandam, reſpiciendum eſt. Ideoque praemiſſis, digeſtiuis, leniora laxantia, praecipue Pilulae balſamicae commendentur, continuetur tunc aperientibus et tonicis, donec tandem per amara, atque aromatica et martialia, partibus debilitatis, decens robur conciliari poſſit.

§. XXV.

Quod diaetae rationem concernit, vitentur omnia illa, quae humores viſcidos et pituitoſos reddere, illosque ad genitalia determinare poſſunt. Eiusmodi ſunt cibi viſcidi, duri, potus nimius, praecipue aquoſus et nimis ſpirituoſus, quies, ſomnusque nimis diutius continuati, animi pathemata, quae motum ſpirituum deprimunt, vt triſtitia, moeror, terror vitentur, atque ſe-et-excretiones ſartae tectaeque conſeruentur. Praecipue euitentur crebrae genitalium frictiones vel cogitationes venereae et caueatur quam diligentiſſime ne aer frigidus pudendis accedere poſſit.



NOBI-

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

DOCTORANDO

S. P. D.

PRAESES.

Exhibuisti mihi Dissertationem elaboratam, quam integram tibi reddidi, sperans fore, vt eandem mascule defendas, cum in examinibus Facultati nostrae exacte satisfeceris. Gratulor Tibi ingenii atque eruditionis specimina, apud nos decenter praestita, ex animo, nec dubito, quin multis olim aegrotis saluti, tuisque sis solatio. Et quo maiorem in addiscenda arte salutari adhibuisti diligentiam, eo maiores ex praxi medica Tibi spondeo fructus. Abi ad Tuos felici, faustoque omine atque sub diuina benedictione macte virtutibus Tuis atque indefesso labore diuinae gratiae inhiare ac laborum praemia expectare, reportare ac frui perge. Vale.